



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

120. Fer. 2. Non datur hic in hac vita frui Deo, quantò minùs creaturis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

tiatate fratribus meis, ut eant in Galilaam, ibi me videbunt. En quomodo iter virtutum inchoantibus Christus adjuvando occurrat, & quas Angelus firmaverat, Dominus reddat certiores. Discipulos nominat fratres, jubet in Galilaam ire, seu transmigrationem, ibi, inquit, me videbunt: Nisi enim à vitijs ad virtutes migremus, non videbimus gloriam Resurrectionis, cujus symbolum est Venerabile Sacr. quod dicitur. *Pharmacum immortalitatis*, à Conc. Trid. Sess. c. 2.

MEDITATIO CXX.

Feria 2. Pasche.

Non datur in hac vita frui DEO,

quantè minus creaturis

Videbo Dominum Cleophae & Amaoni apparentem, & disparentem euntibus in Emaus. Petam agnoscere, non dari in hac vita satietatem.

Cons. 1. Felicitatem illorum duorum Discipulorum, quando aperti sunt oculi eorū, & cognoverunt IESVM: hæc enim est vita æterna. Ioan. 17. Noscitur Deus ex creaturis, ex scripturis, ex Unigenito in terris viso, & cum hominibus conversante, tandem à mortuis resuscitato, & agnito à Cleopha, & Amaone, ut ait D. Ambrosius in Luc. lib. 7. c. 12.

Cons. 2. Infelicitatem eorundem: quia

VIR

vix cognoverunt eum, & ipse continuo evanuit ab oculis eorum. Nimirum in cœlis tantummodo verum erit illud: *Tenui eum, nec dimittam.*

Conf. 3. Si mihi nec DEO in hac vita frui datur, quomodo me satiare poterunt creaturæ: percalcatis ergo illis, semper ad ea ferar, quæ, postquam contigerint, præterire non poterunt. O quando aderit ille dies, quo non per transennâ, & peregrè tenebo Iesum meum, nec dimittam! O amare, ô ire, ô perire, ô ad Deum pervenire! Exclamat D. Aug. Serm. 17. de Verb. Dom. Interea cum, ut ait Theophylactus, magnam & ineffabilem vim habeat Domini caro, eamque sumentibus aperiantur oculi, ad SS. Sacram. me applicabo,

MEDITATIO CXXI.

Feria 3. Paschæ.

Pascha continuandum in vulneribus Christi.

Videbo Dominum pro agno piscem, & pro lactucis agrestibus favum mellis paschaliter comedentem. Petam fieri hujus mensæ particeps.

Conf. 1. Quòd legale Pascha cum amaritudine edebatur, ut ait D. Greg. Nisi post Resurrectionem verò cibus favo mellis dulcoratur. Comedit Dominus potestate, non necessitate,